



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio CXVIII. Crux Domini nostri Jesu Christi miseris & afflictis spes
unica rebus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

peccata illius esse à DEO dimissa, & preces exauditas. Ecce quid possit crucifixi contemplatio!

Ex vita
16. Junii

Huic adjungo S. L. t. g. r. d. e. m. V. g. i. n. e. m. , cui duodecim annos natæ, & incautè cum nobili quodam adolescente collocatæ, Christus apparuit, monstrans per hians lateris vulnus Sacratissimum Cor suum, ac dicens, ut posthabito quocunque alio mundano amore, se solum amaret, & quæreret; paruit illa, & juveni ad se paulò post reverso cum S. Agnete dixit: *Discede à me pabulum mortis, quia jam ab alio amatore prævanta sum.* Discessit ille confusus; Et ecce Christum Crucifixum de novo obvium habuit, qui eam brachio & amplexu ad Cor suum & lateris vulnus, ut ex hac cella vinaria biberet, invitavit, & admovit; cui denique moribundæ à Christo dictum est: *Propè est laborum tuorum finis, neque diutiùs à me separari patiar;* Quibus dictis feliciter animam suam in manus Domini expiravit. O felix mors! o beata fors! Sed quid mihi & tibi aliquando, o mi Lector?



CONSIDERATIO CXVIII.

Crux Domini nostri Jesu Christi miseris & afflictis spes unica rebus,

Deus noster refugium & virtus: adjutor in tribulationibus, qua invenerunt nos nimis. Psal. 45. 2.

1.

3. Reg. 17. 12.
Cornel. hic,

Mullieri illi Serepthanæ in extrema fame & annonæ caritate ultimum refugium fuit unicus farinae pugillus, & duo ligna, quibus suam consolabatur inopiam; unde dicebat ad Eliam Prophetam panem & aquam ab ipsa postulantem: *Vivit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farina hydria: En colligo duo ligna, ut ingrediar, & faciam illam mihi & filio meo, ut comedamus, & moriamur.*

Lanfrancus & alii apud Cornelium per farinae hydriam Panem Eucharisticum intelligunt, qui quotidie à fidelibus comeditur, nec tamen

tamen consumitur, aut unquam deficit. S. Augustinus per duo ligna, quæ paupercula illa vidua collegit, duo ligna SS. Crucis subaudit, videlicet unum erectum & alterum transversum, quod mysterium jam tunc illa pia vidua in umbra aliquo modo cognovit: *Ideo, sunt verba citati S. Præsulis, duo ligna colligebat, quia in typo Elia Christum excipiebat. Duo ligna volebat colligere, quia crucis mysteria desiderabat cognoscere, crux enim Domini Salvatoris duobus lignis aptata est, ideo duo ligna colligebat vidua illa, quia in illum, qui in duobus lignis pependit, creditura erat Ecclesia.* Collige ex hac pereleganti figura anime mi! quale solatium sit rebus in afflictis Sacratissima crux Dominica, vel potius ipse JESUS & hic crucifixus.

2. Erat quondam populus Israeliticus in Ægypto in extremis constitutus angustiis, novus enim Pharaon ignorans Joseph conatus est Hebræos intolerabili onerum impositione non tam opprimere, quam & submersione omnium eorum masculorum extinguere. In hac gravissima afflictione clamavit populus ad Dominum, qui invocatus in rubo spinoso ardente & incombusto Moyse apparuit, consolans illum & populum: *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem ejus audivi, & sciens dolorem ejus, descendi ut liberem eum de manibus Ægyptiorum.* Exod. 3. 7.

Quæres hic, prudens Lector, quare Dominus DEUS (Theodoretus ait fuisse Filium Dei) inter spinas & flammam Moyse voluerit apparere, & non in splendido throno, aut in nube perlucida? Respondet Sylveira, ut Moyses & omnis populus ex tali visione discerent patientiam, & crucem ac tribulationem suam generoso tolerare animo, quia ipse Filius Dei, antequam nasceretur ut homo, dignatus est inter spinas sese illis exhibere spectabilem; ita & Cornelius: *Verbum Dei, inquit, in rubo, est verbum Dei in cruce, quia utrobique inter spinas.*

Dixit autem Dominus Deus: *Vidi afflictionem populi mei, & sciens dolorem ejus, descendi, ut liberem eum.* Cur non Angelum misit, qui Moysen & afflictum populum consolaretur, & à gravissimo Pharaonis jugo liberaret? R. Le Blanc, ut per hoc significaret, quia in medio illorum est, qui in hoc mundo tribulantur: *In media tribulatione ipse reperitur; unde & Vares Regius: Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Psal. 90. 15.

3. Multa tulit, fecitque puer Joseph Jacobi Patriarchæ filius. Cum natus esset annos decem & septem, à perfidis fratribus Madiantibus mercatoribus in servitutem viginti argenteis venditus est; ab illis iterum in Ægypto Putiphari centum nummis aureis: in carcerem exinde innocens conjectus per triennium hæsit, primis temporibus severe tractatus, ut ex psalmo centesimo quarto patet: *Humiliaverunt in compedibus pedes ejus: ferrum pertransiit animam ejus.* Tandem cum annos septem

fertilitatis & totidem sterilitatis prædixisset, & Pharaoni Regi modum toti regno providendi aperuisset, ab eodem Rege mirum in modum exaltatus est, qui in signum singularis gratiæ & potestatis illi proprium annulum signatorium dedit: *Tulitque annulum de manu sua, & dedit eum in manu ejus.*

Jac. Gretser.
l. 4 c. 9. &
Hadr. Lyr.
. 6. c. 8.

Observa hic, Lector prudens, rem planè admirandam. Jacobus Gretserus S. J. ex antiquis eruit codicibus, quòd in prætioso illo annulo sigillari, quem Pharaon Ægyptiorum Rex Josepho consignavit, ejusque digito inferuit, insculpta fuerit crux, quo salutari signo Joseph Ægypti Pro-Rex jam tunc suas solebat obsignare literas, decreta, mandata, & quod obsignabat hoc crucis signo, sanctum ac ratum per universam Ægypti terram habebatur; vertitque Pharaon illi nomen, vocans eum in lingua Ægyptiaca, *Salvatorem mundi.*

Collige ex hoc, quàm pulchre Sapiencia Divina jam tunc temporis intervallo per dictam crucem præluserit redemptioni humani generis in cruce suo tempore per Salvatore mundi Christum Jesum adimplendæ. Subintrat hic Cornelius: *Itaque Joseph expressus fuit typus Christi patientis & resurgentis.* Adverte hic, anime mi, pro reflexione morali, quomodo ludat in humanis Divina Potentia rebus, & quàm bonum sit cum Josepho Patriarcha in omni adversitate adhærere Deo, & ponere in Domino spem suam.

Luc. 23. 41.

4. Et dic, obsecro Sodes, quis unquam venit ad crucifixum Jesum, & ab eo repulsam passus est? Venit latro, fatetur peccati & pœnæ se reum esse: *Nos quidem justè,* de Christi autem testatur innocentiam: *Hic verò nihil malisecit;* tum ad crucifixum Dominum ac Deum suum conversus: *Domine, inquit, memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Et ecce summam Jesu benignitatem, plus exhibet, quàm petatur, nec promissionem differt: *Amen dico tibi: hodie mecum eris in paradiso.* O summum solatium, *hodie esse cum Jesu!* O anime mi! si similem à Christo Jesu vocem & nos in ultimo nostro agone audiremus! Vivamus proinde nunc cum Jesu in cruce, & erimus pariter cum illo in paradiso, quia *ad magna præmia perveniri non potest, nisi per magnos labores.*

S. Gregor.
hom. 37. in
Evang.

Ferrarius in
Catalog. SS.
22. Februar.
& Nadasii co-
dem die

5. Huic latroni pœnitenti: & sine mora à Crucifixo Salvatore exaudito adjungo B. Margaritam à Cortona peccatricem quidem, sed & seriò pœnitentem: Quæ ubi canis ductu in sylvam abducta fuit, ubi inter lignorum struem impuri lenonis sui cadaver vermibus scaturiens, & gravem expirans mephitim conspexit, foeditates antiquas & peccata sua summè detestans, plurimis lacrymis abluere cœpit; & quia aliud remedium ac refugium non habuit nisi Jesum & hunc crucifixum, ad ejus sacros pedes se abjecit, veniam delictorum & gratiam ejus

ejus humillimis flagitans votis, ubi hanc vocem è cœlo audivit: *Non adhuc vocaberis filia, quia filia peccati es: Cum verò à tuis peccatis per generalem confessionem purgata fueris, te inter filias numerabo.* Fecit confessionem generalem, ad quam se per octiduum disposuit, & ab eodem crucifixo Domino meruit audire: *Nunc filia mea es.* Paulò post, ubi mirabiles progressus in pœnitentia fecit, in Ecclesia Fratrum S. Francisci, quia tertii ordinis habitum induerat, ante crucifixi imaginem ferventiùs orationi cum lacrymis insistens, Dominum JESUM de cruce loquentem audire meruit: *Quid vis misera?* At illa respondit: *Nil aliud præter te, Domine.* Tandem per veram ac sinceram pœnitentiam eò usque devenit, prout scribit Nadasius: *Qua in latere crucifixi Cor Jesu intuita & complexa, sursum ab eo ferebatur in caelum.* Collige ex hoc, quid sit fructus facere dignos pœnitentiæ, & quomodo crucifixus Dominus miseris & afflictis spes sit unica rebus.

6. Plura requiris de crucifixo Domino admiranda? Zamoræ in Castilia, prout refert F. Justinus & Joannes Lopez, accidit; cùm Fratres Religiosi in choro Completorium devotè cantarent, & exinde orationi mentali coram pia Crucifixi Salvatoris imagine incumberent, ut tota templi structura, quam fornicem appellant, contremere ac concuti cœperit; pauci hoc advertebant periculum, utpotè contemplationi intensiùs defixi. Tum clara vox ex dicta imagine crucifixi ad Fratres delapsa est: *Fugite Fratres.* Illi rati illusionem hanc esse serpentis antiqui, diutiùs in cœpta morabantur meditatione; Et ecce de novo, & altiori voce monet crucifixus Dominus: *Fugite Fratres,* ad quam vocem obstupefacti, trementes fugam arripiunt, vixque postremus pedem è Choro extulerat, cùm ecce tota fornix templi corruit; ex quo presentissimo periculo ubi Religiosi illi fuerunt divinitùs liberati, laudes Deo & crucifixo liberatori suo læto ac grato animo decantarunt; quæ imago illie locorum in hodiernum usque diem spectatur, multis prodigiis ac beneficiis in miseros mortales illustris.

F. Justinus ex
Joan. Lopez
& ex illis Ba-
gatt. de Ad-
mir. Orb.

7. Hanc considerationem claudat Juvenis ille in sæculo à teneris delicatè enutritus, & exinde in Ordinem S. Francisci vocatus, in quo ubi duriusculè in novitiatu haberetur, vehementer angit, & tandem in proposito remissior esse cœpit, proinde ad antiquas cepas & ollas carniùm suspirabat. Accidit autem, cùm in Ecclesia coram crucifixi effigie ante abitum impensius oraret, ab eodem interrogaretur: *Cur sugam meditaris?* R. Ille, se imparem esse tam aspero vitæ generi, cui Dominus: *Respice manus meas & pedes meos ac latus transfixum.* Fecit hoc Tyro, & in proposito sancto constanter usque ad finem perseveravit.

Wadingus
tom. 2. Anna-
lum ad añum
1253 n. 44.